


3094.













M. Fischer fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS



ECLOGA
NOVA ET FESTIVA, DE PACIS FOEDERE INTER

Inclyta & potentißima regna, Daniæ & Sueciæ, nuper inito.

IN QVA PRAETER ALIA LEctu non iniucunda, belli quoq; Duces, & alij viri generosi, celebrioresq; Danicæ Nobilitatis familiæ, nec non præcipua bellicarum nauium nomina recensentur.

AVTORE IOHANNE LAVRENtio Amerino Ripensi.

VVITEBERGAE,

Excudebat Clemens Schleich & Antonius Schöne.

ANNO M.D.LXXIII.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

VENERANDIS ET COMMEMORABILI

PIETATE, ERVDITIONE, OMNIgenisq; virtutibus clarißimis viris, D. Magistro IOHANNI LAGONIO, Ripensis diœceseos Superintendenti vigilantißimo: Et D. Magistro IACOBO MATTHIADÆ Vuielleio, Ecclesiæ cathedralis Ripensium Pastori primario atq; fidelißimo. Dominis, Præceptoribus, ac Mecœnatibus suis reuerenter colendißimis. S.



ERAM & non fucatam συμπάθειαν omnium humani ingenij, & mansueti animi, officiorum fontem esse, à dignitate tua reuerendißime D. Magister Iacobe, præceptor meritißime, sæpius inter alia salubrioris disciplinæ monita percepi. Vtpotè quæ dolentibus condolere, atq; gaudentibus congaudere faciat. Sed tamen magis legitimam & efficacem illam sentiri, quæ in parentum, & aliorum consanguinitate, vel affinitate iunctorum negocio se exerit. Maximè vero vehe-

mentem & ſeriam experiri eam, quæ ab affectu in patriam prorumpit. Et quamuis vtranq; non doctrina, non præceptis, inſtillatam, vel legibus inculcatam, ſed ab ipſa natura hauſtam eſſe: Inſuper quoq; non ſolum Philoſophis & Ethnicis ſanioribus approbatam, & nonnunquam ſanguinis & vitæ profuſione ſtabilatam: Verumetiam voce diuina mandatam, & in Eccleſia receptam, conſtet: Tamen hanc plus amplectendam, tanquam publicum bonum (quod priuato ſemper anteferre decet) videri. Execrandam igitur omnẽ in patriam ἀστοργίαν, ἐπιχαιρεκακίαν *atq; cyclopicum ſtuporem. Cunctaq́; earum mancipia pro præſentiſſimis naturæ monſtris, fœdiſſimisq́; alaſtoribus & catharmatis habenda: Iura tam diuina quam naturalia conculcantibus, pœnasq́; aliquando grauiſſimas Deo ipſi, & naturæ luituris. Id ego recenti memoria reuoluens, cum nuper certior de patriæ noſtræ mutato ſtatu redditus eſſem: non potui non tanta affici & exultare lætitia, quantò prius (durantibus nimirum bellicis tumultibus)*

tibus)

tibus) mœrore immerſus hæſi. Et licet à violenta annuæ febris tortura, nec non infinitorum pharmacorum excarnificationibus tanta ſit virium corporis mei eneruatio, tanta ingenij hebitudo nec non ſenſuum omnium debilitatio, vt neq; mens, neq; manus ſatis ſuum officium faciat: Intermittere tamen nequaquam potui, quin internum affectum, externis ſignificationibus proderem. Colloquium itaq; hoc præſens ruſticum Thaliolæ noſtræ excidit: quo non ſaltem patriæ gaudere, ſed etiam regno Suetico gratulari conata eſt. Quod autem rudiori orationis filo contextum eſt, partim eius languori imputandum erit: Tantummodo namq; (vt dici ſolet.)

Carmina proueniunt animo deducta ſereno:
Et: Si quem dira Iouis ſupremi læſerit ira
Pieridum dulces negligit ille ſonos.

Partim verò perſonis introductis, ad quas ſtylus moderandus fuit. Præterea ſi quid in materia ipſa erratum ſit (virorum nimirum illuſtrium debito non ſeruato ordine vel eorundem aſsignatis in bello mu-

 nijs,

niȷs, & rebus gestis minus aptè expressis.) id aliȷs tam exteris quàm nostratibus, qui totum belli tempus & negocium meminerunt, quorum relatione omnia habeo, asscribendum puto. Me etenim puero adhuc, exortum: & in peregrinis atq; longinquis versante oris, gestum & compositum est. Et quia priuati saltem exercitiȷ gratia illud institui, minus diligentiæ adhibitum fateor. Non enim vnquam diuulgaturum decreui. Nequaquā etenim duorum nobilissimorum patriæ nostræ poetarum, nempè magnifici & celeberrimi D. Doctoris Erasmi Læti, & D. Doctoris Iohannis Francisci Ripensis: præterea D. M. Iohannis Sadolini, et aliorum clarorum in regno Danico virorum, memoria me fugit. Quorum eruditissima & exercitissima vena, totum negocium pro dignitate laudabiliter & fœliciter decantatum iri non dubito: ne ego inter strepere anser olores, aut humilis lauros inter saliunca frondes (vt prouerbium est) explicare velle viderer: Vicit tamen frequens & seria intimorum quorundam solicitatio

&

& autoritas: quorum precibus diutius repugnare pertinacis & ſtolidi magis, quàm verecundi aut grati eſſe arbitrabar. Tandem itaq́; typographo illud quicquid eſt, publicandum committere cogor. Candore tamen omnium melius intelligentium, æquiuſq; iudicantium fretus. Zoilis, Momis, naſutisq́; πολυπραγμονικοῖς nihil concedens, priuſquam ipſi melius inter febriles horrores & paroxyſmos huiuſmodi meditatum dederint.

Veſtræ autem paternitati, viri reuerendi & clariſsimi illud dedicare placuit. Tum vt memoriam amoremq́; veſtri apud me perpetuò viuere ſignificarem. Tum etiam vt qualecunq́; grati animi mei, ob tot & tanta P. V. merita & beneuolentiam, viciſsim extaret indicium. In nulla dubitatione relinquens, nimirum qui eadem honeſta & celebri ſint prognati familia, eadem eruditione & virtute ad ſummum digintatis euecti faſtigium, eiuſdem officij curam, eodem in loco & ciuitate gerant: Deniq; vnum & idem ſint, velint & agant: quin eodem pariter ſe

affici munuſculo ſint paſſuri. Omniaq; in dexteriorem partem accepturi. Quam diutiſsimè & florentiſsimè viue & vale Præſul reuerende & vigilantiſsime: Tuq; Paſtor venerande & fideliſsime. Deus æternus terq; opt: max: vtrunq; regat, tueatur & perpetuo benedicat. Amen. Lipſiæ 7. Maij, Anno à partu virginis ſalutifero 1572.

Paternitati veſtræ addictus
& deditiſs.

Iohannes Laurentius
Amerinus.



TOPO-

TOPOGRAPHIA CIVITATIS RIPENSIS.

VRbs iacet antiquas inter celeberrima ſedes,
Quæ ſua magnificis præbent cunabula Cimbris.
Non indigna trahens ab amœnis nomina ripis.
Ingenijs opibusque valens, virtute potensque.
Herbiferis hinc cincta iugis, viridantibus atque
Saltibus, & liquidis iſtinc circumſona ſtagnis,
Omnigeno quæ piſce ſcatent: nec plura Cayſter
Audit in algidulis Cygnorum carmina lymphis.
Undique plena virent pomaria, & vndique picti
Suauibus irrigui viſuntur floribus horti.
Adde tot hyblæis vernantia prata roſetis
Florilegis dulces apibus præbentia ſuccos.
Adde etiam vario tot apricos germine campos,
Immixta arboreis vbi ſtant virgulta frutetis,
Argutos volucrum ſemper reſonantia cantus.
Prædia quid memorē, circūque iacentia rura?
Rura, ſoli glebæ, & pecoris ditiſſima pinguis:
Ditiaque egregijs multum paſtoribus: inter
Quos haud pro minimis Corydon & Thyrſis habentur:
Huic pater Opilio, ſed filius ille bubulci:
Patris vterque fuit ſtudij ſucceſſor & hæres,
Ac florens annis: inter ſe qualia nuper

Verba volutabant (etenim sunt digna relatu)
Dicere fert animus. Tu nostris annue cœptis,
Cuius ope exilis melius modulatur auena.
Vosque fauore meis patriæ duo lumina terræ
Aspirate ausis, solitumque aduertite vultum.
Te venerande reor Præsul; puto teque fidelis
Saluifici vocem qui clangis, buccina, Christi:
Cuius vterque vigil fidusque est pastor ouilis,
Hæc quibus exiguis cano pastoralia cannis.

CORYDON ET THYRSIS.



THYRSI gregis custos Cimbrorum gloria Thyrsi,
Quo te quæso pedes? an læta Palilia nobis
Te reddunt? an te via Thyrsi reducit ab vrbe?
THYR: En Corydon, multos Corydon non vise per annos,
O tempestiuè quàm nunc conuenimus ambo:
Me videant vtinam lemuresque, lupique, priores,
Atque sinistra malum promittat ab ilice cornix,
Si Thymus aut Apib. Corydon, Cythisusue capellis
Rosque Cicadarũ turbæ, aut messoribus vmbra,
Quam tuus aduentus mihi, posset gratior esse.
COR: Et te, crede mihi, tantundem gaudeo, viuum
Ac iterum, (quod vix sperassem) offendere saluũ.
Nam me tot casus, & tot discrimina rerum,
Dum

Dum patrios linquo fines, peregrinaque lustro
Rura (nouenarum superatus amore sororum)
Iactarunt, poßis vix vt benè credere Thyrsi.
Quippè fidem Corydon dictis facit ora colorans THYR:
Pallor, & apparens macies in corpore toto:
Usque adeo, penitus quod sis mutatus ab illo
Qui patrias pernas & pingues deseris offas,
Tunc benè pastus eras, at nunc vix oßibus heres,
Vilior imò etiam solito, tua penula testis
Esse potest, vsumque pedi quod fustis habebit.
Haud aliter fit cum peregrino ignotus in agro COR:
Degit, & à fidis procul est semotus amicis.
Ast ego quid contrà quoque te mutasse priorem
Tàm vultus habitum, quàm vestis cerno figuram?
Nam nunc ruga tuā non sulcat, vt anteà, frontē,
Tristia nec pronus figis modò lumina terræ,
Inficit aut faciem fuligo, nec amplius hærent
Labra situ, scapulasue hirtus tibi crinis obum-
Pendula vel casum minitatur stiria naso: (brat:
Plurima cōfusam nectunt neque stramina barbā,
Implicuit solitas in eam nec Aranea casses.
Adde quod et lacero, quoque versiculoribus aucto
Panniculis sagulo liber sis, semper ab vno (uit.
Quod pendens humero terram malè verrere sue-
Denique non magè iam perones turpiter amplos
Prominulis caligæ fibris, onerando fatigant:
Prospicit aut tremulis, soleas per, stramē aristis.
Quid multis? nouus es Thyrsis vultuque, colore

Et

Et geſtu, cunctoq́ habitu, nouus es modò Thyrſis.
Sed tamen hæc habeat quam tranſmutatio cauſam
Admiror, dubitóque ſimul, ſcire atque peropto.
Dic tua num ſobolem peperit tibi Thyra recentē?
(Thyra, bonos qua non ſolertior altera mundis
Condere caſeolos manibus, pedibuſque mouere
Ocyor extenſo dentatam in ſtamine telam)
Siuè nuces tuus eſt Mopſus ſparſurus? an ipſi
Obſecro Niſa datur iam? ſæpius antè negata.
Eſt adeò ſeu fortè Caper tibi ſaluus, & hædi,
Totq́ modò teneros numeras cū matribus agnos,
Fœturaſque boum, tot & vbera lacte grauantur,
Vndè frequens habeas quod poßis vēdere in vrbe
Molliculis iſtis multoſque emungere nummos,
Vt tua iucundo tibi mantica turgeat ære.
Subrides quid quæſo? ipſam num tangere quod rē
Sic potui? vel me quia coniectura fefellit?
Thyrſi, profectò alias rimari neſcio cauſas.
THYR: O Corydon tantum tua diuinatio fallit
Quantum inter diſtant ſe, præſens atque futurū.
Namque licet tantis ex proſperitatibus illis
Venit adhuc non vlla mihi, tamen optima firmat
Me ſpes, haud multos poſt ſoles eſſe futuras
Non illas modò, quin maiores forſitan illis.
Sed te cum teneat tanta admiratio noſtri,
Nec non tantus amor quæſitas noſcere cauſas,
Te noſtræ ſtimulet nouitatis, & vndè ſuborta
Sint mihi lætitiæ tot ſigna, docebo: tuumque

In

In gremium Corydon ego largiter omnia fundam.
In longum forſan, nos inter, ſermo trahatur, COR:
Atque via feßis, ſtatio ſolet eſſe moleſta,
Vixque teres vltrà incumbentem ſuſtinet alnus:
Attamen optarem vehementer noſcere cuncta.
Vis nos ne illo igitur viridi conſidere colle THYR:
Frondentis patulo Platani ſub tegmine, fontis
Propter aquam, qua non vitreis vmbroſior vndis
Alter in his vſquam fluit, eſtque ſalubrior, oris:
Nutrit odoriferis vel plures floribus herbas:
In ſpem baccarum, fouet aut cum Vitice, Myrtos
Iugiter afflatas zephyrique apiumque ſuſurro.
Quò tibi cunque lubet concedere Thyrſi ſequor te. COR:
Ergò age iam paribus properemus greßibus illuc. THYR:
Aßideas mihi ſed propius: Nunc arrige ſenſus.
Optimus ô Corydon hæc Pan mihi gaudia fecit
Pan tenet ætherei ſacra qui Pineta Lycæj,
Omnia qui fecit, moderatur, & omnia ſeruat:
Præcipuè ſed curat oues, ouiumque magiſtros
Quotquot eũ agnoſcunt, benè fidunt, atq; verẽtur.
Ipſe meos vltrà eſt cantus haud paſſus inanes
Quos mea arundinibus, conſtat quæ fiſtula ſeptẽ
Hactenus ingemuit, ſed pondus fecit habere
Nunc tandem, votisque dedit tam ſæpè petitos
Euentus hæc non cur gaudia quæſo fouerem?
Thyrſi precor, quid ſit non longa exordia necte, COR:
Expedias breuius, mihi mens in pulte vagatur.
Scis Corydon eſtque heu nimiũ meminiſſe neceſſe THYR:

Poſtquam

Postquam finitimos furtim irrepsisset in agros
Monstrū atrox, nigri proles horrenda Barathri,
Emenidum cognata, trucis soror aspera Martis,
Bellona à bello, & funesta strage vocata:
Atque ibi feralis discordia semina belli
Sparsisset, facilesque animos ad iurgia, & iras
Insuper & multum sitientia corda cruorem
Vicinis vafra pastoribus arte parasset:
Scis inquam ex illo quanti mox tempore, quanti
Inter (quem semper benè seruent numina) nostrū
Daphnin, & illorum capitaliter inter Amyntam
Cæperunt turbæ: scis quot violenter in annos
Durarint, & quid secum traxêre malorum.

COR: Quanta magistrorum veniunt incommoda Thyrsi
Dißidijs, luctaque graui, quem quæso lateret?
Hæc etenim non sunt saltem pastoribus, atque
Armentis clades, & lamentabile fatum,
Imò ipsis etiam sæpè exitiale magistris,
Præcipuè cui causa fuit mala, corque proteruum.

THYR: Hoc exempla probant etiam nuperrima, verum
Quò melius noscas, succinctius ordine pandam
Omnia, quæ mihi sunt aliorum voce relata:
Ipse etiam vario quæ cum discrimine vidi
Ergò vbi finitimos nostros ad prælia sensit
Procliues, Bellona ferox, furibunda cachinnans
Prosilit, & celeri pede gaudia terque quaterque
Testatur, furuis plauditque enormiter alis.

Inque

Ore tumente caua canit horrida claßica taxo.
Haud aliter quam cum lupa non ſatiabilis vnquã
Incidit in prædam, campos vlulatibus implens
Auxilio vocitat comites. Sic illa cruentum
Inclamat fratrem ſigno ſonitúque canoro.
Protinus ille ruit, fumans à cæde recenti,
Utque ruit, lorica ſono frameáque gemiſcunt.
In noſtroque prius fixit tentoria fundo
Nuncia quam volucri diffundere fama relatu
Id potuit, vel quam cuiuſquam venit ad aures:
(Inter eos veluti conuenerat, antè nefandum
In facinus quàm ſic coniurauére, quod ipſe
Noſtris in teſquis habitaret, at illa propinquis:
Atque ita diſcordes facerent hoſtesque magiſtros,
Et tandem infeſtos ad prælia ſæua mouerent)
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma
Hæc famulis dans ſigna ſuis: mox aduolat omnis
Quẽ ſtimulauit amor prædæ, atq; cupido cruoris.
Cernere tunc equidem fuit, vt frondator ab alta
Deſiliens tilia vibrat currendo ſecurim.
Curuus & vt (media ſulci in cauitate relicto
Ligone & plauſtro) cum vomere currit arator.
Ruſticus & meſſor (fugiens at vterque laborem)
Intrepidi properant, hic falce, ſed ille bifurca.
Cum canibus, ſpreta caſſa, venator: & auceps
Fiſtula & abiecto viſco pedicisque ruebant.
Quos madidus ſequitur maturæ vinitor vuæ.

Addit

Addit ſe comitem, fugiens piſcator ab vnda,
Quem ſoliti tremulæ tædebat arundinis vſus,
Nullaque cura fuit ſalientes ducere piſces,
Abijcit aſt hamos, & lina madentia linquit.
Deſerit igniuomos, cum dura incude, caminos
Hinc faber, illepida tinctus fuligine vultum,
Malleo & ingenti fremebundus forcipe venit.
Venit & impurus picea pinguedine ſutor.
Ipſe etiam ſartor (quamuis pede claudus ab vno)
Forfice dira minans greſſu vacillat anhelo.
Innumeriq́ue ſuas alij liquere tabernas,
Lucra requirentes maiora, labore minori.
COR: *O nimium fatuos, ô terq́ue quaterq́ue miſellos,*
Qui tali ſeſe precio diuendere tentant,
Sicq́ue ſuam dubiæ morti vouere ſalutem.
THYR: *Quid non dira fames auri committere ſuadet?*
Hæc eadem vili non ſolum plebe creatos
Impulit, aſt etiam generoſo ſtemmate natos.
Imò alios etiam doctæ qui ſacra Mineruæ
Caſtra reliquerunt, Martisq́ue profana petebant:
Præ cunctis etiam quæ ſunt auidiſſima, namq́ue
Excipiunt quotquot, ſimul et quoſcunq́ue, valoris
Nec non reſpectu ſine gentis, & ordinis omnj.
Tartareus veluti cunctis patet Orcus, et à ſe (lo.
Reijcit haud quenquã, aut numero ſatiatur ab vl-
Sic tua cõueniunt, Styge cũ, Mars horride, caſtra.
Ad quæ tunc nigrũ quoq́ue ſe conferre Menalcã
Vidimus, ex vernis fuit is celeberrimus vnus
Martis,

Martis, Theutoniæ patrijs quoque venit ab oris,
Et ſecum induxit numeroſum militis agmen.
Pręſtat idem, retinens cognomina priſca trahendo
Omen habet nomen, detraxit plurima nobis,
Præcipuus rigidi fuit is quoque verna Gradiuj.
Sicque inter ſpacium breue temporis ipſa ſcatere
Conſpecta, omnigeno ſunt milite paſcua noſtra.
Purpurei ſicut peramœno tempore veris
Cum tepidi mulcent zephyri, Phœbusque ſereno
Lumine cuncta fouet naſcentia, iamque reduxit
Arboribus frondes, telluri gramina, flores
Herbis, veſtiuit lepido fruticesque virore.
Depopulabundo quot tunc inſecta vagantur
Ore, vel in liquido ſaliunt quot rore Cicadæ,
Thyrſi tot his noſtris tunc graſſabantur in aruis
Crudi Mauortis famuli: Pro Daphnidis, & ſe
Iactantes, noſtra noſtrûmque ſalute vocatos.
Incedunt tumidi, talo tenus atque nefandè
Bracchati, certant ingentes ponere paſſus:
Criſtatus veluti Gallus ſolet, vtraque quandò
Implicitur ſtupis ſibi tibia: Siue paludem
Cum liquidam, ranis inuiſa, Ciconia tranſit.
Vana profanato quoque plurima gutture ructat,
Pręcipuè glomerantur vbi, coëuntque gregatim:
Tunc ſe collaudant, mentitaque prælia narrant,
Atque cicatrices monſtrant à fortibus armis
Inflictas, ſed quas dederat meretricia dextra.
Quisque audet ſeptem quoque ſe pręferre colonis,

B Virtu-

Virtutesque citant, ac omnia numina, testes,
Cum neque virtutes curent, aut numina norint.
Sæpè etiam superant, & sesquipedalibus hostes
Longius absentes uerbisque minisque trucidant.
Nunc arces capiunt, nunc vrbis mœnia rumpũt,
Castraque deripiunt, at nil nisi verba supersunt.
Isti ego quid valeant, sed verius omnia dicam:
Multa vorant, et multa bibunt, mala plurima pa-
Et quos à sæuo debebant hoste tueri, (trant.
Hos ipsi spoliant, primosque lacescere gaudent.
COR: Crudele et petulãs genus est qui castra sequũtur,
Namque licere putant etiam, quæcunque lubebit.
THYR: Hisque ita contractis, lustratis, atque decenter
Instructis, mox in vicinos ducitur hostes.
Mars aciem nostram direxit, & impulit ipse,
Aduersam Bellona: nigros turbata capillos
Et laniata genas, fluidoque cruore rubenti
Circumcincta sago, madefactam sanguine belli
Debacchante facem, dextra gestansque rotansque
Antè suos graditur, mentesque accendit & iras:
Ausa tamen non est in apertos ducere campos
Ipsa prior, nostroque manus cum milite coràm
Conserere, ast intra notos munimine fines
Et scopulis tutos, se continet, atque maniplos.
COR: Illa sui generis fecit de more profecto:
Nam licet irarum vehementi fluctuat æstu,
Terribiles spiratque minas, tragicoque furore
Prouocat, inuicto simul omnia conterit ore
Fœmina,

Fœmina, ridiculum pecus: at si fortè futurum
Turbet qui imperium, plagisque coërceat ipsam
Senserit, extemplo positis cum viribus armis
Mansuescit, trepidat, se comprimit atque silescit.
Salsa quidem, sed vera refers, piscator ab ictu THYR.
Quippe sapit, sapit & sic se Bellona tuendo.
Non ignara quidem valeat quid Danica pubes
Et procerum virtus: tenet alta mente reposta
Fortia maiorum nostrorum gesta, veretur
Ne iam, quæ toties à nostris, contigit istis
Antè aruis, & quæ nuper nunc accidit agris
Dithmaricis, eadē quoque nunc fortuna sequetur.
Intereà noster generoso percitus Oestro
Impatiensque moræ Daphnis, ne tempora perdat
Augusto vocat ore Duces, armare phalanges
Protinus, & belli tentarier imperat hostes
Sorte. Illi parent rutilantia castra mouentque.
Mox oritur stridor lituum, clangorque tubarum,
Raucaque multiplici reboabant tympana pulsu.
Insequitur nymbus peditumque equitumque: vo-
Acta manu celeri vexilla, leonibus illa (labant.
Cæruleis minibunda tribus, reliquoque trophæo.
Intrepidè irrumpunt, latè & cultoribus agros
Deuastant, primo insultu quæ nomen ab Alce
Fert, arcem tàm vi quàm deditione capessunt.
Insuper vlterius pergentes obuia quæque
Firma licet, nullo superant capiuntque labore.
Quin etiam quoties erumpere cogitur ipsa

Atque lacessita in planis se ostendere campis
Ausa fuit, quamuis decuplò robustior esset
Tum numero, tum tormentis, alioque paratu:
Nostrorum tamen est valida virtute repressa.
Vera loquor Corydon veniam da vera loquenti:
Testis & esse potest Halmstadica pugna fugæque,
Hinc ad Falconum celebris victoria montem.
Ut sileam toties fusam, totiesque fugatam
Noruegicis (id quis quæso non nouit?) ab oris.

COR: Audieram certè, admirans sed sæpè stupesco
Quî potuit Daphnis dictos defendere fines,
Cum fuerit tanto spacio semotus ab illis.

THYR: Quæso manus longas nescis tu Regibus esse?
Atque in Danigenûm præsenti corpore terris
Apparere licet Daphnin conspeximus ipsi:
Attamen in reliquis potuit nihilominus istis
Esse plagis, fama virtutis, & hostibus esse
Ingenti potuit terrori, nomine solo.
At cum tot res, & tantas, is gesserit absens
Quid tunc quod præsens commiserit, oro putabis?

COR: Credo equidem melius, quàm tu narrare valebis
Illa mihi, nam quis iuuenilem nesciat eius
Illustris feruorem animi? totque inclyta facta,
Pectore magnanimo semper quæ prodit? & ipsis
Præcipuè in rebus prosperrima fata gerendis?
Dignè igitur poterit magnus dicique Secundus.
Sed te Thyrsi precor mihi ne memorare graueris,
Quos habuit Dano summos de sanguine cretos

Patria

Patria nostra duces, proceres, aliosque celebri
Nobilitate viros, hoc belli tempore quorum
Emicuit virtus, & strenua dextra, fidesque.
Certior vt reddar de tantis obsecro rebus,
Ad me vix tenuis famæ quas pertulit aura.
Ipse vides summa vt villarum culmina fument, THYR:
Oceanoque iubar properet nunc abdere Titan.
Ergò tibi breuibus saltem perstringere cogor,
Quæ pòst æterno mihi sunt memoranda relatu.
Præcipuum belli ductorem, Daphnis, auito
Sanguine Rantzouidûm, prima sed origine Danũ
(Si proauos repetas) Danielem nomine dictum
Constituit, mandans turmis equitumque præesse.
Agmina sed peditum rexit Brochenhusius heros.
At Podebuschorum Mauricius inclyta proles
Infracta armigeros eduxit mente cohortes
Ad pugnam, quotquot fœcunda Fiona misit.
Sed quam diues opum contraxit Scania turmas,
Holgeriana fuit soboles dux impiger, Haccho.
Verum bellipotens quos ciuit Iuthia Cimbros
Gregorius nomen qui fert à dente lupino
Partim egit: partim celebri de stemmate Petrus
Aurea, cui in signis, & nomine, stella coruscat.
Quin & Nicoleus, cui Dresselbergicus ortum
Præbuerat sanguis, legiones rexit, amœnis
Quas populosa suis Sielandia fudit ab oris.
Hinc quoque Noruegico cõpleuit milite campos
Ericus rosco, qui fert cognomina serto,

Nobiliusque trahens illuſtri à ſanguine ſtemma.
Addunt ſe ſocios Euerhardus, ſtirpe vetuſta
Bildorum ſatus, atque ſuæ laus viuida gentis:
Chriſternusque genus ſeruans, preclaraque facta
Munchorum, remanens nec gloria parua ſuorum.
Hos ſuper aduenit Khaſiana gente Iohannes
Non minus externis, patrijs quàm notus in oris,
Duxit & is valido florentes ære cateruas.
Nec deerant gemini diuerſa ſtirpe Stenones,
Ille Roſenſpareis, decus hic ſed nobile Bildis.
Inſuper Ericus præſtans Podebuſchia proles.
Nec non Chriſtophorus Lungorũ clara propago.
Præterea reliqui (neque gloria vana ſuorum)
Nõ minus antè acies primi, intrepidique ferũtur,
Quàm Domini pro ſorte ſui, patriæque ſalute,
Ad bellum prius accelerant, in vtrunque paratj:
Quisque ſuæ memor exiſtens virtutis auitæ:
Scilicet ad pugnam quotquot tribus Oxea miſit,
Quot Lyckea, ſimul quot Langea, quotque Gyana,
Cũque Roſenſparea, Krumpena, quot atq; Bradea,
Bildea cum Krabea, cum Pasbergenſe Iulina,
Bannerea, et quoscunque dedit Rudeana propago.
Quoſq; tulit Friſeus, quoſq; Hardẽbergicus ortus,
Et quos Bernkouius, quos Trolleus, atq; Grubeus,
Ac Laxmandiacus, nec non Vgeropius: & quẽs
Nomina dat Delphin, quib. et dat nomina fluctus.
Hinc quoque ſtirps à ſe quos Stiſeniana profudit,
Vlſeldina ſimul, quos Schrãmea, quoſq; Schauena,
Vrnea,

Vrnea, Rennouia, Bryſckina & Sparrea, Binga.
Godſchea cũ Brochia, cũ Strangea Beckia, Dhaq;,
Krauſea quoſq; dedit, quos Lũgia, quoſq; Schelina.
Et cum Krumdigica quos Hackia miſit & Holcka.
Vuenſtermandiaca deerant neque ſtirpe creatj:
Nec de Sckenchelida, ſeu de Lindennouiana
Vel Sckougardina: Veniunt & fortiter inſtant
Præterea quibus eſt Faſſorum ſanguis origo,
Ac Galſchötthorum nati, prolesque Tothorum.
Et qui Zeſtedica prognati gente, Timannis
Quique ſati fuerant, qui Styggis, Roſtropijsque.
Quid Vualchẽdorſſos referã? Biſſosq́; ? Suogosq́;?
Vel Flemingiaco, aut Höcheno ſtemmate cretos?
Quitzouidumue genus? Kiörnningorũue nepotes?
Venit & Högorum ſoboles, venitque Sualorum,
Nec non Vuindorũ: Quẽis dant Pomaria, dantq́;
Priſca quibus regio nomẽ: quibus atque viroris,
Montis arenoſi quibus & cognomen adhæret
Venerunt etiam: Venit quoque Norbyca proles:
Et cum Splidea Porſena: ſibique Globea
Iungit Hedenſtropiam, Sckadena ſed Harbouianã,
Ac Normannorum cum poſteritate Preporum,
Compluresque alij quẽis nobilitatis origo,
Atque fuit virtus, & dextera fortis in armis,
Qui quoque ſe fidos terreſtri in Marte probabant:
Quos ego nec vidi quorum neque nomina noui,
Nam poſſunt omnes non omnia ſcire bubulci.
Quid tu terreſtri narras mihi Marte fuiſſe COR:

B 4 Con-

Congressos, etenim quis nescit in aëre posse
Præter pennigeras, nullos pugnare, volucres.
THYR: Veliuolis igitur sulcatur nauibus aër?
Præbeat iste tibi portum dare vela volenti.
Belligerisnè patet spaciosum claßibus æquor?
COR: Thyrsi pereginis ego cum versarer in oris
Crede mihi, quid sint, quid sint semel æquora sensi.
Persuadere mihi nec possum viuere quenquam
Fascinat incautam cui tanta audacia mentem
Ut se cæruleis tentet committere lymphis.
Namq́ue ego, vix credas, ex illo tēpore quantùm
Ad nomen nauis trepidem, mortemq́ue pauescā.
THYR: Quæ tua sint igitur narrare pericula perge.
COR: Fortè die festo fluuij spaciabar ad vndas
(Solus & ignotus) vocitant quē Saxones Albim:
Arbitror hunc vastum dici mare, namq́ue locorū
Non vsquam visa est mihi copia maior aquarū.
Dumq́ue ibi ludentes fulicas, mergosq́ue sonoros
Spectarem, quidam venit en Stratiota, strepentes
Indagans anates, mihi lætiferoq́ue tremendus
Sclopeto, limisq́ue tuens, ait ocyus: heus tu
Stellio quid mergos numeras? hanc illico lintrem
Dirige, donec aues (en remum) consequor istas:
(Hæc mandans anates & cymbam monstrat adun
Meq́; ita confestim secū conscendere cogit, cam)
Horrentem fluctus, & gurgitis ima trementem.
Nec procul à viridis vehimur iam margine ripę,
Ferrea terribili quum glandem canna fragore
Eiacu-

Eiaculatur, ego cœlum sonuisse ruinam
Sum ratus, in gelidas subitus simul excutit vndas
Me pauor: ah mecum tunc actum Thyrsi fuisset,
Protinus auxilium nisi fulua tulisset arena.
Impius immodicè me risit, at iste, natantem,
Et liquidos risit reuomentem pectore fluctus.
THYR: Ipsa quidem magno res est dignissima risu,
Maiori sed es ipse: maris qui nomina vasti
Albidos attribuas arcto, placidoque fluento.
Non ita colliculum monti, pennamúe volucri,
Aut fagum syluæ, seu moli corporis artum,
Deniqúe vel paruis componere maxima fas est.
Præterea modico qui sic terrêre susurro
Exilis iaculi: Quid si Vulcania, quid si
Tam grandes chalybis tormēta vomentia massas
Atque repentinas, vt dira tonitrua, flammas
Audires Corydon? animi sed inesse quid illis
Sentis, immenso qui se committere ponto
Scilicet impauida non vnquam mente verentur?
Inter tot nymbos, tempestatesque furentes,
Totque inter scopulos, tot stridentesque procellas,
Tot breuia et Syrtes, tot Scyllas atque Charybdes,
Grandia totq; inter Cete, totque horrida monstra.
Quid multis? fatū intentant vbi cuncta supremū.
Quin etiam infestis audent concurrere signis,
Ac inter vastos committere prælia fluctus:
Prælia non tantum quæ ferro pellere vim vi
Cominus hortantur, sæuisque dolonibus vti.

 Pilaque

Pilaque vibrare, & celeres torquere Cateias,
Sclopetisque globos liuentis spargere plumbi:
Imò etiam paulum nauali lege remotas
Quæ certare rates exposcunt, atque vicißim
Eminus horrisonis suadent decernere telis,
Sæuaque terribili tormenta explodere bombo.
Vndè fretum resonat gemitu cœlum remugit,
Et concussa tremit tellus, ac horret Auernus,
Exanguesque graui flent præ formidine manes:
Vndè etiam densos inter, fera fulmina, fumos
Crebra micant, & sulphureo nidore replentur
Omnia, sparguntur spissæ caliginis vmbræ,
Quæ socio socium ex oculis, cœlumque, diemque,
Eripiunt, piceo paßim nigrore volantes,
Summaque surgentes ex imo ad nubila fundo:
Non aliter quam si, desertis Æthna Sicanis,
Islandosque suos violenta relinqueret Hecla:
Ad sæuamque fremens descenderet vtraq; pugnā:
Obuia iam patulo, quod si vestigia campo
Fortè ferant, & conueniant simul, illicò totis
Viribus insurgunt, animisque ferocibus instant:
Alternantque vices certatim, fulmina spirat
Vtraq;, saxa vomit, tremulas iactatque fauillas,
Exesoque nigros exhalat vertice fumos,
Atque cauernosis reboāt fera murmure cryptis.
COR: Hei, demiror eos audent qui talia, pugnæ
Scilicet, atque freti, gemino se exponere fato.
Aut rigidum certè circum præcordia ferrum

His

His est, aut solido mens ex adamante, vel imis
Visceribus gestant plus quàm mortalia corda.
Qui fuerint illi ex nostratibus, ergò recense.
Atque Carinarum, quæ constant, nomina pande.
Nil moror; vt virtute prior fuit, Odine primus THYR:
Occurrit simul Herlussus, fœliciter ortus
Stemmate Trollorum: celerem qui ritè fauente
Fortuna, rexit Fortunam: quique superba
Exitium Maglosa tibi tulit, idque stupenda
Mole licet, nec non immensis viribus esses:
Solaque tu puppes alias contemseris omnes.
Et licet (vt fama est) Proteus Nereidas inter
Mole sedens, virides siccant dum sole capillos:
Et conchæ inflatu Triton, dum cætera Ponti
Numina permulcet (placidis pars innatat vndis
Parsque vehebatur frenati tergore piscis)
Te visa, pauido mox sunt formidine cuncti
Perculsi, in fundo seq; abdunt æquoris imo:
Excitus ipse etiam, subitò motusque tumultu
Neptunus, causamque suæ dum Tethyos alti
Miratur gemitus, scrutaturusque quid hoc sit,
Protinus è tremulis madidũ caput exerit vndis:
Vt primùm tumidis, vidit te incedere velis,
Pugnandum ratus summo de iure tridentis,
Confestim rapido trepidans se vortice mergit.
Non tamen Herlussum terrere pericla valebant,
Siue fugare metus: quin contrà audentius iret.
Nec prius absistit, quàm te cecidisse videret,

Atque

Atque inter flammas fastum finire supremum,
Fluctisonamque tibi statuisset denique tumbam.
I nunc atque homines cum summis despice Diuis.
Hinc gemini fratres Rudeanæ stirpis alumnj,
Virtutis specimen produnt Ericus, & Ottho:
Danicus hunc infert pelago Venator, at illum
Suetica virgo vehit. Prægrandi cana Iohannes
Hanibale Vlffstadus secat æquora. Strenua Petrus
Munckorum soboles sequitur, qui abducere ditem
In prædam potuit centum vno tempore puppes.
Hinc Henricus habens aurato à sydere nomen,
Grabbato inuehitur magna, magnalia patrans.
Proruit indè Petrus proles Huitfeldica, cuius
Non minus emicuit pelago, validißima virtus,
Quam tua Paule solo: dum teque tuamque tueris
Halmstadiam, frustrando suis conatibus hostes.
Quid memorem Ericum Lyckei stemmatis illum?
Quidue Vlfeldina industrem, de stirpe Iacobum.
Aut Vgeroporum quid dicere coner Haraldum?
Nec non Sckenchelidæ Gabrielem gentis honorẽ:
Delectosque alios proceres, armare periti
Classem, & qui validè reliquas egere Carinas.
Nempè vel æratum rictu minitante Leonem
Cornipetamue freto Ceruũ, Gryphemue volantẽ,
Immanis cui siue Elephas insultat aquarum
Montibus, Aut toruũ qui viribus incitat Vrum:
Siue etiam ringens cui Vulpes æquora verrit:
Aut iracundus subnando immurmurat vrsus:

Aut

Aut etiam truce qui ſulcat vada cærula Tauro.
Hinc formidandus toto ſe robore Samſon
Inuehit: aſſociat quem ſe grandæuus Abraham,
Ancipiti tremulis ſtringens conatibus enſem.
Nec non aligeris, & velox remige, talis
Mercurius quatit arma quib. fuit vſus in Argū.
Imperioſi etiam ſpumant freta ſaucia clauo
Herculis, inflexu cedentes ſupplice roſtris
Conteret is, proraque ſequaces increpat vndas.
Quin & præcipiti truculentus labitur Hector
Impulſu, Oceanum bellaxque laceſcit Achilles.
Hinc Dauid Ionatha fido comitatus amicoe
Vela ſubit, parilis tenuit conatus vtrunque.
Nec cui pennigero puppis Gabriele refulſi
Segnius alba citis infarcit carbaſa ventis.
Pontigradus ſequitur, quem vaſto corpore vexit
Chriſtophorus, celeres geruloque immittit habe-
Inde Ionas infert alto ſe, pondere Pinj (nas.
Tardior: hinc agilis facie nat Maurus aduſta:
Hirſuto indomitus pariter nat corpore Lappus.
Quid referam per vaſta leui freta Cortice ferrj
Auſum? aut tranantē Merula, vel Hirundine: ſiue
Vnguibus et roſtro minitans quē Gallus habebat
Æquore geſtandum: nec non cui prædo natabat
Accipiter: mare cui, violenta ſecatúe Columba.
Vel cui ferriuomus tumidis it Struthius vndis.
Qui ruit aut demum candenti inuectus Olore.
Seu reliquos etiam multis quid dicere coner,

Inuiſa

Inuiſa infeſtis ſubeuntes hoſtia velis?
COR: Hoſnè refers omnes tellure fretoq́ue profectos,
Intereà patrios qui ſeruant ergò penates?
THYR: Hîc quoq́ue non deerant generis ſplendore poten-
Atque viri virtute graues, ætate verendi, (tes,
Nec non conſilijs dextri, meritisque celebres.
Ac quorum fuit antè fides, & cognita bello
Strenuitas: huius ſed belli tempore, cuncto
Delecti ex numero proceum, remanere, domiq́ue
Cuncta gubernare, & prudentum more iuuare
Abſentes ſocios, dubio in diſcrimine, iuſsi:
Hinc operam Domino ſemper præſtare fidelem.
Hos inter primas Oxorum auguſta propago
Petrus habet partes, regniq́ue palatia ſeruat.
Huic Friſcæ ſtirpis decus et laus ſumma Iohannes
Proximus eſt: Sequitur Petrus hũc æterna ſuorũ
Gloria Schrammorum, meritis venerandus et an-
Quis non Otthonis virtutes obſecro nouit (nis.
Krumpeni? vel non miretur maxima Magni
Geſta, micat rutili ſtella cui nomen ab auri?
Et tamen hic famam nihilominus auxit vterq́ue.
Hoc ſimul Eilhardus facit Hardenbergicus heros.
Præſtat idẽ Byrgerus habens ſua ſtẽmate Trollis.
Nec non Nicoleos Longorum ſtrenua pro es.
Se prodit, quantus fuit, indè Georgius, amplis
Lyckeus proauis, proprijsq́ue celebrior actis.
Se quoq́ue Vernerus fidum Pasbergus agebat.
Compluresq́ue alij, fugiunt hoc tempore quorum
Nomina,

Nomina, quos honor, & titulus decorauit equestris.
Quid tibi præterea reliquos memorabo celebri
Nobilitate viros, atque integritate potentes?
Scilicet est soboles Munchorum qualis Olaus:
Summa vel est Abslon clarorum fama Iulorum,
Qualis & Holgerus, qualisque Georgius extant,
Florida quēis roseum largitur nomina sertum.
Insuper & Petrus, laus summa, & fama perēnis
Bildorū: immēsum pariter decus Ottho Bradorū.
Adde etiam geminos Biornones, alter alumnus
Khasorum ingenuus: veterum præclara sed alter
Biornonum proles: virtute probatus vterque.
His (est dignus enim) pariter superadde Iohannē,
Quo Schougardiacum meritò se stemma fatetur
Nobilius, iactatque suæ virtutis honorem.
Deniqué Nicoleon simul annumerare decebit
Cui genus à Khasis, prudentia Pallade surgit,
Quemque satis proprij commendat gloria facti.
Ni fieret, possem plures, mora longa, referre:
(Verum quos aliàs) Sed qui iam nomine cōstant,
Atque recensitos terra, pelagoque, domique,
Audisti, fuit his industria tanta, fidesque,
Tantus amor patriæ, belloque scientia tanta,
Vt iam seruissent iterum vicinia nobis,
Id nisi cum superis sors inuidiosa negasset.
Sed quid ego frustrà incuso fatumque, Deumque,
Perfidiam potius, fraudemque dolumq́, scelusq́ dolus
Detestaturus nigri, sine fine, Menalcæ:

B Qui

Qui vix in nostros vestigia fixerat agros,
Cum se, cum socijs iam prodere turpiter ausit.
Nectit namque moras, et idonea tempora differt.
Flagitat æstiuo Brumalia frigora sole,
Frigore Brumali sed contrà æstiua requirit
Tempora: Vere tener non sufficit herba caballis,
Autumno hanc hostis maturam falce recîdit.
Pastores alij causam statuére timorem,
Quo formidaret sic hostes, atque pericla:
Sed pars perfidiæ factum, technasque putabant.
COR: Desipit is, causam qui non concedit vtramque
Præcipuè postremam: etenim sic fallere tempus,
Est vetus aucupium: prolixo tempore namque
Militibus lentis, prolixa stipendia surgunt.
THYR: Me Faunus, sic est: id nunc ego cogito primùm:
Hinc eius tam segnis erat progressus in hostes,
Impiger at reditus: Sed sic dum fallit, agitque
Seriò nil, volitat pernix occasio, tantum
Fronte prehensibilis: multi labuntur & anni:
Impediuntur & hinc fortunę munera nostræ.
Non tamen intereà Mars & Bellona quiescunt,
Propositū sed quisque suum vehementius vrget,
Instigando viros: is nostros, illa propinquos,
Alternam in cædem, nec non ad mutua damna.
Undè tot ærumnæ, tanta infortunia, totque
Casus, quēis vidi non tempore tristius vllo.
Nā præter strages hominum miserandaque fata
Quos partim subitò violentus perculit ensis,
Sed

Sed partim viuos hoſtilis ſurripuit vis,
Atque ſequi vinctos alienas cogit in oras,
(Hinc & tot queruli pupilli, tot viduæque,
Tot ſponſæ ſponſos, ſocij ſociosque gementes)
Ipſæ etiam pecudes affligebantur, in ipſis
Quarum pars ſtabulis pereunt, pars diues abactæ
Præda manent hoſti, lanamque cruore reſignant.
Parcitur haud minimis: vituli ſed ab vbere, nec
E tepidis teneri rapiuntur ouilibus agni, (non
Aut, qui tota vßit magalia, ab igne vorantur.
Quid multis? amnes libauit nulla liquentes
Quadrupedum tutò, vel graminis attigit herbã.
Quin etiam tellus paßim cultoribus orba
Mæroris data ſigna ſui, ſolitique decoris
Oblita, & fœcundæ fertilitatis, vbique
Aret, & ingenti luctus ſqualore laborat.
Proque ſatis lolium, ſterilesque reportat auenas,
Cum tribulo inuiſas filices, lappasque tenaces,
Mordacesque refert vrticas, atque proteruos
Fungos, ignauos tapſos, & mille cicuta.
Proque leguminibus vicias, erransque papauer,
Titthymalos & Hyoſchiamos, redditque liguſtrũ,
Innumerasque alias inuiſi nominis herbas.
Et quia ſic fruges alimentaque iuſta negantur
Illicò dira fames paulatim ſerpere cœpit:
Quæ dum tabe ſua, miſeros depaſcitur artus,
Plurima damnoſos animalia cogit ad eſus,
Aſt alijs inopi ſoluit ieiunia morte.

Corpora fœda iacent syluis, agrisque, vijsque,
(Nauseo cōmemorans) graueolente fluentia tabo.
Hinc quoque temperiem virosam contrahit aura,
Pestiferamque luem, quæ diro millia multa
Infecit vicio, vel funere mersit acerbo.
Illa quidem noluit (sed quid conamina prosunt
Morboso, ne labe alios contaminet, vai?)
Expirando luem gemuit, fleuitque nocendo.
Denique quorsumcūque oculos, animūque reflexi
Nil nisi luctus erat, faciesque miserrima rerum,
Cumque pauor plagis, & plurima mortis imago.
Nec tantum tellus ita contristatur, & aër,
Sed simul vnda graues visa est agitare querelas,
Quicquid & vnda tenet: Præsertim Suetica Te-
Fletibus auget aquas, fatū miserata suorū, (thys
Bellonæ et Marti indignans mala plurima vouit:
Proque suis virides extollit in aëra palmas,
Suppliciter tristis, funditque precantia verba:
Atque ita: Pan residens super alta theatra Lycej
Cunctipotente regens simul omnia numine rura
Et quæ rura tenent. Precibus si flecteris vllis,
Hæc nunc vota rogo facili mea percipe sensu.
En, vt cum socia, vastat tua regna Gradiuus,
Nec sceleri modus est horum, vel casibus vllus
Illorum: & certè pereunt mox omnia, si non
Auxiliatricem porrexeris illicò dextram.
Reprime (namq; potes) grassantia reprime mōstra,
Atque citò lapsis fer opem mitissime rebus.

Tunc

Tunc tibi perpetua referetur gratia laude.
Propitia votum (tandem miseratus) is hausit
Aure: reluctantem frustrà toruumque tuentem,
Compedibus, vinclisque feris, mandauit vtrunq;
Constringi, & validè tenebroso in carcere claudi:
Fertur inauditas luiturus sanguine pœnas,
Ad Stygias viuus vel præcipitandus abyssos.
O sceleris tanti verè dignißima pœna. COR:
Indè venenosam purgauit ab aëre tabem, THYR:
Restituit terræ, quoque fertilitatis honorem,
Atque vndis alacrem fluxum, viresque salubres.
Quin & sepositis rixis armisque, ligauit
Mi Corydon, ambos concordi pace magistros.
Fœdera finitimos igitur nostratibus esse COR:
Obsecro Thyrsi putas sociatos nuper amico?
Sic est vt refero, sed quid Pan egerit vltrà THYR:
Percipe, mox etiam vernas, reliquosque coëgit
Mauortis famulos, aruis excedere nostris.
Tum si vidisses quam bracchi pondere tardi,
Et quam pro domino tristes repsère fugati
Risisses Corydon: non tunc velut antè gregatim
Incedunt tumidi, vel passus ponere certant.
Sed velut intrauit pinguem cum spurca culinam
Turba canum, stimulat quã fœda libido vorandi,
Atque ibi iam prædas in opimas incidit, ô quam
Luxurit, ingluuieque sua non segniter instat,
Mutuò gratatur nutu, caudaque triumphat.
Nec prius absistit petulanti cuncta tumultu

Siue coci potius feruentes sentiat vndas:
Crura tamen fugiens lentè mouet, atque subindè
Respiciens rictum lambit, caudamque sub aluum
Abdit, & ob stomachi dispendia flere videtur.
Haud secus hi nostros flebant, & lentius ibant
Deserturi agros, caput & persæpè retorquent,
Hoc quasi signantes: ô pinguia rura valete
Perpetuò vobis vtinam seruire liceret.
Visa sed illa fugam sunt, accelerare iubere,
Quicquid & illa tenent: reliquorũ nomine, fures
Ite sonat gallus, clamauit & anser abite.
Quin & ab arboribus quarum spiramine frontes
Africus inflexit, via monstrabatur, ad orcum.
COR: Non igitur dubium quin nunc meliora sequantur
Tempora, cum Domino, pulsis nebulonibus istis.
THYR: O Corydon quis prisca modò reditura negabit
Secula? quæ fuerant Saturno sceptra gerente,
In quibus vsus erat ferri non vllus (aratris
Seruiat id Corydon nostris) sed mollia gentes
Ocia securi peragebant: omnia tellus
Spontè dedit, sterilis Narcissum protulit alnus,
Atque rosas humilis fudit saliunca rubentes,
Lenta salix ficos, vernauit hibiscus oliua,
Vulnificique croco sentes, vuisque genistæ.
Floruit in teneris & nux moschata myricis.
Aurea laticomã platanum quoq; mala grauabãt.
Nunc riui lactis, riui nunc nectaris ibant,
Flaua-

...que ac virtus fulxerint luce media.
Tanta fuit cunctis etiam concordia brutis,
Nempè lupos ouis, ac inter vaga cerua leones,
Et vitulus rigidos vt tuto errauerit vrsos.
Cũ canibus pauidæ steterintq; ad flumina Damæ.
Inter & accipitres impunè volârit alauda,
Noctua cornices, auidos miluosq; columba.
Quid multis? pleno fuit vndique copia cornu,
Vndiq; tuta quies, ac vndiq; summa voluptas.
Hæc siquidẽ reditura putas, nunc denique Thyrsi: COR:
Desino mirari te quid mutauerit ipsum
Et vultum gestumq́ue tuum, vestisque figuram.
Cur quoq; lætitiæ paßim tot signa dederunt
Omnia, quæ vidi rediens, ac auribus hausi.
Lætior excelsas cecinit frondator ad auras,
Et volucrum lepido resonabant omnia cantu.
Sunt quoq́ue visæ omnes agitare cacumina syluæ,
Atque feræ celeri protendere gaudia saltu.
Et pecudum viridi grex luxuriauit in herba,
Nec non pisciculus liquidis saliebat in vndis.
Quin simul in vitreo ludentes amne sequuntur
Naiades, et reliquæ glauca cum Doride Nymphæ.
Hinc quoq́ue cantantes Dryades, viridesq; Napææ,
Inter semicapros Faunos, Satyrosq́ue bicornes,
Pallentes violas & grandia lilia cuncti
Quassantes, viridi & redimiti tempora pinu,
Leniter in celsis festas duxêre choreas
Montibus, hæc animo fortasse futura tenentes:

Numina venturi nam non ſunt inſcia fati.
THYR: Nil dubium: ſtatuo melius tamen omnia noſtrũ
Noſcere Pana, fluunt hæc, à quo, cõmoda nobis.
Hic mihi ſemper erit Deus, illius atque quotannis
Agniculus noſtris è ſeptis imbuet aram
Sæpius, huic molis & lacte litabo recenti.
Et fuero ſi quando meæ per ſecula vitæ
Illius oblitus, fœdiſsima vipera noſtris
Sibilet in tumulis, defunctaque deuoret oſſa.
Sed iam veſper adeſt, en ſera crepuſcula denſas
Inducunt nebulas, & gramina rore madeſcunt.
Surgamus, placidam ſuadet lux acta quietem,
Atque vias facit infeſtas nox atrior, ergò
Eia age nobiſcum notas te confer ad ædes:
Cimbriacæ mihi ſunt pernæ, ſunt oua fauillis
Cocta, bouis tergum, pinguiſque tomacula porci,
Caſeus, & lactis ſuauiſsima maſſa coacti.
Nec non in patulis liuentia pruna caniſtris,
Quæ mihi longinquis aduexit Porchius oris,
(Porchius antennas quo non velocior alter
Scandere ſublimes, prenſoque rudente relabi)
Pomaque cũ nucibus: mecum precor illicò perge,
Ne veterem Corydon agnatam deſpice Thyram.
COR: Parerem, niſi nunc materni cum Galateæ
Me deſiderium tecti tam grande vocaret,
Quæ conſtat tibi, tot me non vidiſſe per annos.
THYR: Attamen à nobis haud indonatus abibis,
Hoc tibi, taurino ex neruo, ſed ſume flagellum
Inductum

Inductum corio, nitidisque ex ordine clauis
Distinctum, quo sæpè lupos prosternere Mœris
Atque suam indignè Grittam mulctare solebat.
En (sit hebes licet) hac sica te dono vicißim, COR:
Qua se Slemlossus, trux ac edentulus iste,
Cornua cum sumsit, Baccho stimulatus & ira,
Vlcisci in furnos, lepidesque, & cymbia sueuit.
Crastina cum primum roseis aurora quadrigis
Fulserit, inuisam mihi credito, iamque valebis
Thyrsi gregis custos Cimbrorum gloria Thyrsi.

F I N I S.



